

Lehrer  
Kunst  
institut  
et  
circa  
anatom.  
1795



7  
P. 380.



7  
24  
IOAN IOACHIM GOTTHARD STVRM,

L. L. C.

COMMENTATIO IVRIDICA

DE EO,

QVOD IVSTVM EST

C I R C A

P. 280.  
ANATOMIAM.



11/10.158



---

ROSTOCHII,  
ANNO MDCCLV.

IOANNIS IOACHIM GOTTHARDI STURMI

L. I. G.

COMMENTATIO IURIDICA

DE FO.

QVOD IUSTVM EST

C I R C A

M A T M O T A N A

CICERO in Orator, p. 351. Lit. G.

**M**e saepe noua videri dicere intelligo, cum peruetera  
dicam, sed inaudita plerisque.

2  
3  
4



ROSTOR  
A. N. O. M. P. C. O. V.





186  
DE  
DE EO,  
QUOD IUSTVM EST  
CIRCA  
ANATOMIAM.



S. I.  
INSTITVTI RATIO.

ne falcem in alienam messem mittere videamur, primo Rubrum quid velit explicantes, de proposito nostro dicturi sumus. Tantum absit vt quae in Foro Medico de Anatomia disputantur, ea disputare, vt situm, structuram et vsum Corporis humani partium in medium proferre velimus, vt potius paucis solum, quatenus Icto quoque de Anatomia dicere liceat vel scribere, simus commentaturi. Latissime certe patet Forum  
A 2  
Iuri-

Juridicum et Iurisprudencia nostra vt quoque ab VLPIANO  
 L. 10. §. 2. D. de Iust. et Iure. definiatur quod sit: *Diuiinarum et  
 humanarum rerum notitia, iusti ac iniusti scientia.* En amplissimum  
 eius campum! Quid quaeso enim praeter rerum diuiinarum et  
 humanarum noticiam intellectui humano reliquum ad perferen-  
 tandum manet? Sed quantum quantum quoque optima haec  
 scientia pateat, est tamen limitibus inclusa. Comprehendit  
 etenim potissimum ea sub se omnia, quae vocari iusta aut iniusta  
 possunt, indeque iusti dicitur ac iniusti scientia. Iusta ea omnia  
 sunt, quae iuri alterius perfecto conueniunt *confer. Ill. DARES.  
 in Iurispr. Vniuers. §. 155.* Atque cum Leges ciuiles ad vnã  
 omnes perfectae sint, forumque externum tantum spectent IDEM  
 L. c. §. 797. sequitur, quod ciuiler iustum sit id, quod Legibus  
 ciuilibus est conueniens. Quoties ergo de ciuiler iusto aut  
 iniusto mouentur Quaestiones, siue humanas res respiciant siue  
 diuinas, toties Decisio erit a ICO. petenda. Vides hinc inde  
 Dissertationes Iuridicas de *Eo quod iustum est circa sacram coenam,  
 de eo quod iustum est circa Baptismum, circa Adiaphora, circa templa,  
 circa mortuos, circa campanas* et quae sunt eiusmodi reliquae. Iam  
 ergo absque periculo vel inuidia scribere nobis licebit de *Eo quod  
 iustum est circa Anatomiam.* Atque ne ultra iusti et iniusti limites  
 progrediamur, quasdam solum quaestiones, quae circa Anatomiam  
 ex Legibus ciuilibus diiudicari debent atque resolui, propo-  
 nemus. Tu vero Iustissimum Numen fac vt coram Te et ho-  
 minibus iusti nomen semper affectem, coeterum omnia in  
 Tuam Gloriam cedant.

ANATOMIA QUID SIT, ET QUID DE ANATOMIA  
 BRUTORVM S. ZOOTOMIA DICENDVM.

Est vero Anatomia siue Anatomie scientia, velvt alii vo-  
 cunt arsy quae docet situm, figuram, nexum Fabricam et vsum  
 partium Corporis humani. Corporis dixi humani, nam Bruto-  
 rum Anatomia, quae vulgo a Dn. Medicis Zootomia vocatur, iam

nos

nos non movet. Attamen, quoniam de hac in sequentibus dicendi forsitan locus non foret, sufficiat hic brevissimis inquirere, num circa eam quoque aliquid sit iustum, quod ad nos pertinet. Bruta in hominum dominio esse, neminem hodie pernegaturum credo *conf. GROTII Ius B. et P. L. II. Cap. 21. §. II. i. f. et LEDERVS in Diss. de Iure bestiali §. 13.* Iam de eo, quod in nostro est dominio pro arbitrio disponere possumus, siue eo utendi fruendi et abutendi ius habemus, *DARIES in Iurispr. vniuers. §. 447.* modo non fiat in laesionem tertii. Ex quo efficitur, quod etiam disponere de brutis nostris pro arbitrio, absque tamen laesione Reip. vel tertii cuiusdam, nobis liceat. Quodsi ergo quis bestias suas ad mortem vsque cruciare, mutilare, proque arbitrio trucidare velit, iustumne erit? Respondeo utique tamdiu, quamdiu nullam omnino exinde incommodum vel detrimentum in tertium redundat; tunc enim Iudex humanus, haecenus qui siluit, se movet, v. g. si debitor de soluendo non amplius existens ita morte et dissecatione bestiarum oblectaretur in praecidium Creditorum, e. s. p. Equidem *PROV. 12. 10.* legitur: *Der Gerechte erbarmet sich seines Viehes:* Sed nos hic loquimur de iusto in Foro humano tali, iustus enim hic esse potest, qui non est aequus et nullam exercet misericordiam. An vero aequum sit eiusmodi factum domini alia est quaestio. Nam in Foro interno omnino supremo iudici de quolibet rerum suarum vsu respondere tenetur, quin? ab eo illi solum vsus bestiarum conceditur non abusus. Abuti autem bestiis dici potest, qui sine vlla causa animi tantum gratia eas occidit, cruciat, mutilat, vel contra naturam iis utitur. Ex hisce facile apparebit non solum Foro interno, sed et externo permiffum esse, salvo aliorum iure, bruta occidere vel dissecare, vt quandoque exinde in Anatomis defectus cadauerum humanorum suppleatur, et quoniam magna est internis Corporis humani partibus cum aliis animalibus similitudo, Corpora humana inde accuratius quandoque cognoscantur. Non igitur iis hac ratione abutimur, sed ad nostram vtilitatem potius ac vsum, ad quem sunt comparata, utimur. Sed obliis, estne summus creaturae abusus

abusus Deoque maxime odiosus viuum brutum ita dissecare et cruciare? Respondeo minime, dissecantur enim viua et strangulantur non sine causa et magna vtilitate, nimirum vt motus intestinorum, vasa Lactea, Ductus Thoracicus, Sytsoles cordis ac Diafsoles, et quae sunt eiusmodi plura, distincte videantur, quae in humani cadaueris Anatomia ita videri haud possunt: ac deinde quoque ita strangulari solent vel ligari, vt mori statim debeant nullamque sensationem retineant. Cum vero ad nostram vtilitatem nobis concessum sit in Bruta dominium, sequitur, quod si ex iis quocunque modo vsum facimus, non iis abutamur. Sed relictis his quaerimus, quid si quis alterius Domini bruta capit, captaque occidit et dissecat, sit iustum. Nemo laedendus, et suum cuique tribuendum est, quae sunt prima iuris nostri principia in ratione fundata. Quod si ergo quis alterum in eo, quod est  $\tau\delta$  suum turbat, eum laedit, et contra eius ius perfectum agit, indeque ab hoc ad reparationem damni cogi potest. Hoc Legibus naturalibus consentaneum est, hoc leges ciuiles volunt hoc iubent. Fingas ergo Titium Sempronii canem vel aliam bestiam, inuito illo et inscio clam subduxisse, vt anatomicè dissecaretur, iam vero Sempronius hoc detegens reparationem damni postulat, et quid iustum hic esse putas? Furtum quidem vel rapinam Titius mea sententia non commisit, quoniam essentialis quaedam vtriusque pars, nimirum animus lucrifaciendi hic deficit. Non enim ad lucrum faciendum, cum statim occidatur, siue patrimonium suum augendum, sed ad alium quandam vsum canem rapuit: Hinc nec ad poenam actione furti, nec ad rem restituendam tenebitur conditione furtiua vel actione vi bonorum raptorum. Attamen iniuste egit in Foro Iuridico, cum rem ex alterius possessione iniuste subduxit, et ita spoliū, commisit. Hinc spoliatus h. l. Sempronius contra Titium spoliū actionem vel rei vindicatoriam instituere potest si adhuc vivit bestia, si iam occisa, tenebitur ei Titius ad interesse, imo permittitur ei iuramentum in litem confer. *SETSERI celeb. Tr. de Iuramentis Lib. 5. Cap. 5. nr. 48.* quo, iudice deferente aliquis rem, quam petit, aestimat, quae dolo vel culpa alterius restitui non potest.



potest. BOEHM. *Ius Dig. Lib. 12. Tit. 3. §. 1.* Caeterum quaeri possit, num Studiosus, qui crebris brutorum anatomis exponit cameram conductam, hac eo ipso peruersè vtatur vel abutatur, atque ob hunc peruersum rei vsum a locatore expelli ante finitum tempus possit, quod alias hoc in casu cuius locatori licet *L. 3. C. de locat. et cond.* Sed ne effato nostro praestantissimis Dominis nostris Commilitonibus praecudicium inferre aliquod velle videamur, id ad diiudicandum relinquimus sapienti Iudicis vel Rectoris Magnifici iudicio. Hoc saltem pace Illorum contendimus, melius facere Studiosum, si alio potius loco hanc Sectionem vel Anatomiam instituat, quam in ipsa Camera conducta, quae ad hanc ob varias eius incommoditates non facile solet a Domino locari. Sed haec hactenus. Persequi nos potius ea constituimus, quae circa Corporis humani Anatomiam iusta dici possunt.

## §. III.

## DE FINE ANATOMIAE.

Finem Anatomiae multiplicem esse posse iam ex eis, quae §. antec. ab initio adduximus satis superque iudicari poterit. Potissimum illa tendit tendereque debet, sicuti quaeuis mortalium actio, ad Summi Numinis gloriam et maiestatem. Quid enim quaeiso dignius homine esse potest, quid homini melius quidque praestantius, ac ipsius hominis aliorumque animalium irrationabilium contemplatio et perscrutatio? quid magis in nobis sanctam admirationem deuotissimamque in sapientissimum Creatorem pietatem excitare valet quam ipsius Corporis nostri aliorumque animalium cognitio? En sanctissimum finem! Deinde etiam ideo instituuntur Anatomiae, vt, cognita rite fabrica Corporis humani, melior sanitatis cura haberi possit, vt mortis violentae vel suspectae causae innotescant, vt causae morborum et mortis inuestigentur, et quae sunt eiusmodi reliqua, confer. *III. HEISTERI Compendium Anatomicum §. 8. sq.* En fines vtilissimos.

## §. IV.

\* \* \*

§. IV.

MAGNAM EX ANATOMIIS CAPIT RESPVEL.  
VTILITATEM.

Ex variis Anatomiae finibus §. III. citatis luculentissime apparet eius utilitas in Rem publ. redundans, quam illum solum credo negaturum esse, qui mente captus est aut in totum furiosus. Omitto enim illas utilitates saluberrimas, quas ex contemplatione et cognitione connexionis, structurae, figurae et vsus partium Corporis humani capiunt ciues, quae fragilitatem corporis nostri et vitae huius, quaeque Sapientissimi Creatoris existentiam et omnipotentiam docent satis atque comprobant, et ita improbos ad sanctitatem excitare, stolidosque ad sapientiam valent revocare. Has inquam omitto omnes, ne in magnum Volumen erumpat brevis haec meditatio, eos solum ob oculos ponendo, quae magis ad communem spectare vitam videntur. Atque hic primum Medici et Chirurgi ex hac scientia capiunt insignem utilitatem, quod iam in totius generis humani commodum scientiam suam possint exercere. Deteguntur enim hic multae abditae morborum causae, quae alias latuissent, imo facilius morbis praeuenire, eosque citius et melius curare inde discitur. Sed non ad Medicos solum extendit sese eius utilitas, imo etiam in Iurisprudencia nostra illa reperitur eximia. Cum ad vnam omnes scientiae vinculo quasi sint inter se coniunctae, arctissimo certe coniunguntur Iurisprudencia et Medicina. Omitto enim causas criminales, vbi de morte violenta inquiritur vel suspecta, vbi non de lana caprina, sed de fama et vita certatur et ita merito *terribiles* nobis dicuntur. In his igitur necesse ocularis inspectio requiritur, et quanto ornamento hic non est Icto Anatomiae scientia? *confer. Excell. Dn. G. W. DE THARDINGII Tr. utiliss. de Necessitate inspectionis Vulner. in Crimine homicidii.* Omitto causas matrimoniales, vbi vel de impotentia vel ad matrimonium inhabilitate quaestiones mouentur. Omitto quaestiones de iusto partus tempore, de aetate, de vitalitate foetus



tus. e. f. p. quae omnia ex Anatomia diiudicari optime possunt. Sic quoque eam Theologis, Philosophis et quibusvis aliis, quisque facile perspiciet utilissimam esse. Cum vero salus Reip. suprema lex sit, utile non modo sed et necesse erit, publice vt Anatomiae iustituantur

§. V.

NVM ANATOMIAE SINT LICITAE.

Infimi homines subfelli saepe terribilem sibi de Anatomia solent formare conceptum, eam quam maxime illicitam putantes. Sed dum ne quidem quid sit illicitum quidque illicitum sciunt, misericordia potius digni erunt quam iniuriis adficiendi. Licitum nominamus id, quod nec praecceptum nec prohibitum, siue vbi lex permissiua habet locum. *DARIES. Iurispr. vniuers. §. 156.* Perfecte licitum id dicitur, quod nec iure diuino nec humano prohibitum reperimus, imperfecte licitum quod iure quidem diuino vetitum, sed iure humano non punitur. *GROTIUS in Iure B. et P. Lib. 3. Cap. 4. §. 2. in not.* Iam vero totum perlegas librum sacrum, nusquam tamen Anatomiam prohibitam auenies, nec prohibetur ista a legibus naturalibus, cum alias perfectiores nos reddere prohibere deberent. Pari quoque modo nulla eius prohibitio adest in Legibus humanis, cum nimirum hae omnes respiciant salutem *Reip. §. IV. i. f.* sed contrarium potius Experientia confirmat quotidiana. Ast pluribus hoc confirmare contra propositum erit, nec necesse, praesertim cum iam *SCHWENDENDOERFFER. de Anatomia iure diuino et humano licita* specialem dissertationem scripserit, ad quam beneuolum lectorem remittimus.

§. VI.

DE EO, QUOD IVSTVM EST CIRCA CADAVERA.

Cadaver generaliter significare quodlibet corpus exanime, iam in Scholis addiscere solemus, Specialius ad Corpora brutorum quandoque restringitur. In iure vero nostro quoties vocabulum cadaueris occurrit, toties corpus humanum exanime  
B  
indi

indicat. Atque in hoc significato nobis sumitur. Omittimus quoque differentiam, quae alias inter funus, cadaver et corpus intercedit, et in ea paucis inquirimus tantum, quae circa cadavera in foro nostro iusta sunt. Haec quo distinctius percipiantur, distingnimus inter Cadavera, quae honeste sunt sepelienda, aut minus, ac de illis primo sumus acturi. Iurisprudencia nostra non modo homines spectat vivos, sed et mortuos, et inde nondum cum morte finiri dici posset. ZIEGLER *de eo quod iustum est circa mortuos*. Mortui vero primum legitime sunt lugendi IACOBS. *in Diss. de Luctu*, ubi de hac materia vberius agitur. Sunt porro honeste sepeliendi. Atque hic circa sepulturam varia in Legibus invenimus disposita, videantur *Tituli in Dig. de mortuo inferendo, de religiosis et sumtibus funerum, de sepulchro violato, et alii*. Sepultura igitur, sicuti olim summum habuit fauorem, ita adhuc hodie habet iura sua specialia, vt celerrimae sit expeditionis, nullam appellationem admittens. B. BOEHMER, *in Iure Dig. Lib. 49. Tit. 1. §. 16.* Sed haec omnia relinquimus, tantum quaerentes, iustumne sit, eiusmodi mortuum honeste sepeliendum ad Anatomiam concedere? Minime vero. Competit potius hic propinquis, qui ita mortuum suum inferre iniuste impediuntur, non solum ad interesse actio in factum aduersus impediendum, sed interdictum etiam illud possessorium, *ne vis fiat ei, qui mortuum suum inferre vult* BOEHMER. *cit. loc. Lib. XI. §. 1.* Sed nummo de iis, qui vnde efferri possint nullo modo reliquerunt, per Leges in salutem totius Reip. vt ad Anatomiam concedantur, disponi possit, alia est quaestio. Quod quidem vtrique fieri posse arbitror, cum ob vtilitatem publicam iniuria haud fieri censeatur *L. 33. D. de iniur. et fam. libell.* Et ita vtilitas priuatorum communis bono postponenda est. Sunt porro Cadavera honeste sepelienda, quoque ab omni iniuria fideliter defendenda. Huc spectat, quod qui ea spoliant, erunt ac priuata autoritate extrahunt, qui ossuarium deiciunt e. l. p. grauissime pro ratione circumstantiarum puniantur. Verum festinatio iam progredi iubet ad cadavera honesta sepultura indigna. Quod haec non tantum fauorem habeant, iam facile perspectu erit, attamen nihil

hilominus quoque hic quae iusta sunt feruentur. Vbi venire proli dolor Experientia comprobatur, ut in figura hominum; bel- larum feritas plectatur atque immanitas, imo quandoque pro in humanitatis gradu sufficere non videtur poena, quae viuis istis monstris applicatur, sed et post mortem adhuc in eorum animaduertitur cadauera. *KLEIN de Executione in cadauere delinquentis.* Ac licet quidem proprie haec puniri dici haud possint, cum nulla in eis amplius vel sensatio vel emendatio speretur, optime tamen eiusmodi Executiones permittuntur in reliquorum ciu- tum terrorem, nimirum ut hi ex aliorum exemplis capiant, sibi quod ex usu sit, ut igitur hae poenae si non emendatrices, certe exemplares vocentur. Ex quibus ratio apparebit, cur quaedam cadauera inhonesta sepultura siue ignominiosa, quaedam Canina siue Afinina, quaedam nulla omnino putentur digna. Fit inhonesta sepultura absque omnibus solennitatibus et ceremoniis extra coemeterium vel prope marginem eius. Qua dignos pu- tant e. g. Verbi diuini Contemptores et Sacramentorum, blas- phemos, excommunicatos, haereticos etc. Canina vero vel Af- inina digni putantur ii, qui *ἀπορρογία* committunt, in reatu moriuntur, et reliqui, quorum scil. Cadauera postquam a Carni- fice per fenestras deiecta, vel sub limine domus extracta sunt, se- peliri solent loco supplicis destinato. Quaedam vero Cadauera prorsus relinquuntur inhumata, nimirum suspensorum, rota pu- nitorum vel aliorum. Haec vero qui spoliatur, clam ex patibulo aufert, mutilat, vel in usus magicos adhibet, grauius punitur, Hisce adductis facillime diiudicabitur, Illi qui in suo territorio Summus est Imperans, competere facultatem quoque circa Cada- uera Leges ferendi ac disponendi. Imperanti enim ius compe- tit semper publicum et commune promouendi bonum. Hinc cum ius ad finem ius det ad media, competit ei quoque ius circa ea Leges ferendi, quibus securitas bonumque publicum promo- uetur. Quare ei competit ius de Luctu et Sepultura Leges dandi, de sumptibus funerum disponendi, in eos, qui mortuos turbant, poenas constituendi, imo cadauera delinquentium adhuc exe- quendi

quendi, vel ea dispensandi, ad anatomiam concedendi, aliisque modis constituendi.

§. VII.

ANATOMIAE PRINCIPIS CONSENSU ET PERMISSIONE

INSTITVANTVR EST NECESSE.

Obiectum Anatomiae primarium esse corpus humanum ex §. II. elucet. Requiritur ergo necesse cadauera. Non autem quodlibet erit Cadauer ad hunc usum adhibendum, sed illud tantum, super quod secuta est a Principe s. Imperante concessio. Huic namque competere ius de Cadaueribus punitorum disponendi s. *antec.* dictum est, adeoque ei licet, boni publici promouendi causa, Cadauer ad Anatomiam concedere. Concessio autem haec Principis est vel specialis, quando ad preces Dn. Medicorum Cadauer aliquod petentium rescribit, vel generalis, vbi generales sanctiones constituuntur circa Cadauera ad Anatomiam tradenda. Solent tamen non indistincte omnia punitorum Cadauera concedi, sed solum eorum plerumque, qui inferioris fuerunt ordinis. Hinc CARPZOV. in *Quaest. Crimin.* P. 3. Qu. 137. nr. 72. sq. monet, quod hic in dignitatem et circumstantias personarum inquirendum sit. Confer. etiam CARRACH. in *Disp. de reatu non omnem dignitatem excludente* §. 13. Peti igitur a Principe Cadauera debent, non propria auctoritate vel clam tolli. Atque ita iam olim fuit apud Romanos obseruatum, vbi nemini propria auctoritate cadauer licebat tollere sublatumque sepelire, sed petenda sepultura erat. conf. BOEHMERI *ius digesti. Tit. de cadaueribus punitorum.* Quin! et in factis literis exemplum istud *Iosephi ab Arimathia* recenti nobis adhuc haesitans memoria, quotidianaque dignissimum, hoc comprobatur satis. Quid igitur de eo tenendum putares esse, qui clam, vel propria auctoritate, cadauer aliquod tollere ad anatomiam auderet? Crimen sine dubio esset commissurus aliquod extraordinarium, indeque omnino arbitrariam incurreret poenam. ZIEGLER

LER

LER *de eo quod iniustum est circa mortuos, Cap. 4. Th. 4.* Quamuis enim hoc loco finis esse videatur tolerandus, iniustum tamen est ipsum factum, dum per illud haud parum iurisdictioni Magistratus detrahitur, cum absque huius permisso impune auferre haud liceat *L. I. D. de Cadau. punitorum.* Sed quaeritur adhuc, numne quoque iudici inferiori vel magistratui cadauera liceat ad Anatomiam concedere? Non regulariter ei licet, nisi a Principe sit haec facultas concessa. Consentiant nobiscum *CARPZOV. in defn. Eccles. Lib. II. Tit. 25. nr. 12.* *ZIEGLER in cit. Disp. d. l. et WESENBECIUS in Paratit. L. 48. Tit. 24. i. f.*

## §. VIII.

## QVIBVSNAM ANATOMIA CONCEDATUR?

Accepimus §. VII. a quonam petatur Anatomiae licentia concedaturque, hocce igitur *spbo*, cuiam concedatur, paucis videbimus. Concedi autem eam solere scimus Dn. Professoribus Facultatis Medicae. Hinc non indistincte patet exercitium anatomicum cuius. Ex quo manifestum est, extra Academiam nemini esse Anatomiam instituere permittum, etiamsi sit Doctor promotus qui id suscipiat. Ad priuilegiatam enim Facultatem Medicam haec spectat, ideoque est ad Academiam restricta, cui priuilegia Vniuersitatis iure regaliu fuerunt concessa. Vbi vero in suo territorio habet nullam Academiam Princeps, ibi credo, quod etiam vi suae superioritatis, aliis Medicis ad commune et publicum bonum, cadauera dare in Anatomiam possit. Sed ponas, Medicum qui non est Facultatis membrum vel extra Academiam vivit, hocce priuilegium in Professorum Medicorum praeiudicium sibi adsumere, quid tum erit iniustum? Competit sine dubio istis hoc in casu in factum aduersus turbantem actio, vel actio confessoria, quo se in suo iure singulari, siue priuilegio fundant, illud contra turbantem asserunt, ideoque, vt ille a turbatione desistat, petunt. Quin et hic possessorie agi possit ex interdicto *Vti possidetis*, nullum habet dubium, *confer. HERNECCII Elementa Iur. Ciu. Lib. 4. Tit. 15. §. 1302.* Extenditur

ur enim hocce Interdictum secundum vsum fori ad quaeuis iura. Hinc, cum Dn. Professores Medici in possessione sint huius privilegii siue iuris singularis, alter vero in ea eos velit turbare, optimo iure hoc interdicto agere licet aduersus turbantem, ad id, vt a turbatione desistat, de eoque caueat, et praestet simul quod interest. Non alienum a proposito esse putamus hoc loco verba adducere Rescripti cuiusdam Serenissimi Saxoniae Electoris de an. 1624. ad Senat. Weissenfels. *vid. CARPZOV. in Iurispr. Confess. Lib. II. Tit. 25. D. 41.*

(*verba Rescripti: Was an uns unfre Medicinische Facultet zu Leipzig wegen Doctoris N. N. bey euch fñhrhabender Anatomi in Unterthänigkeit gelangen lassen, solches habt ihr aus den Beyschluss zu vernehmen. Weil aber solches sein Fñhrhaben gedachter unserer Facultet nicht zum geringen praeciuditz ihrer habenden privilegien, bey euch auch dem gemeinen Mann zur Aergerniß gereichet, zu deme die Barbierer-Gesellen daselbst wegen der Nähe dergleichen exercitia alle Jahr zu Leipzig mit ansehen können; als begehren wir hiemit gnädigst, Ihr wollet gedachtem Doctor N. N. solches sein vorhabendes Exerctium secandi extra Academiam abzustellen auferlegen ic.*)

## §. IX.

## AD QVEM VSVM CONCEDANTVR CADAVERA.

Hactenus quis concedat, itemque cui concedantur cadavera, tractauimus. Iam, ad quid siue ad quem vsum hoc fiat, erit despiciendum. Cum autem de fine Anatomiae iam §. III. dixerimus, paucis, quae dicenda adhuc forsitan erunt, attingemus. Finis eius praeter Gloriam Dei v. s. is est, vt rite cognoscatur Corporis nostri fabrica, vt exinde melior sanitatis cura haberi possit e. s. p. Ergo ad huncce finem et vsum quae spectant, ea omnia sunt circa cadavera permissa et concessa. Cui namque conceditur finis, ei quoque media concedantur est necesse. Hinc licet Cadauer dissecare, cutem, pinguedinem, musculosque separare, situm intestinorum aliarumque partium internarum monstrare, venas, arterias caeterosque canales Corporis humani per-

uesti-



uestigare, ossa coniungere, vt Sceleton inde formetur, et quae sunt eiusmodi plura Dn. Medicis melius perspecta. Ad licitum igitur vsum et honestum solum conceduntur Cadauera. Quam obrem illicitum eorum vsus qui facit, v. g. in vsus magicos ea adhibendo, vel ludibrio aliorum exponendo, aliisue inhonestis modis tractando, contra finem omnino et intentionem agit Concedentis, ideoque arbitrarie puniri poterit. Ex eodem liquet, an licitum imo iustum sit, Cadauer vel partem eius quandam ex loco illo, vbi Sectio eius perficitur, in proprium vsus adhibendum vel aliam ad causam, vi aut clam subducere. Nullo modo, sed incurreret potius eiusmodi Spoliator in poenas arbitrarías, quandoque pro ratione circumstantiarum grauissimas, cum aperte contra Principis agat voluntatem. Quin? si restituere illud recuset, interdicta de exhibendo instituuntur, vel potius Mandata S. C. ad restituendum petuntur, quoniam iste versatur in facto nullo iuris colore excusabili.

## §. X.

AN ANATOMIA POENA DICI POSSIT?

QVA QVAESTIONE RESOLVTA CONCLVDITVR!

Plus vna vice ad aures meas peruenerunt vulgi huiusmodi loquela: fieri nullo modo posse iustum vt sit, hominem semel ad supplicium datum post mortem adhuc tam crudeli adficere poena, qualis esset Anatomia; imo, quod mirandum, quandoque sublimiores ita ratiocinantur. Sed errant isti, facileque eos ab errore suo destituros credo, dummodo accuratius paulo intueantur poenae et Anatomiae naturam. Est vero poena malum passionis, quod infligitur ob malum actionis ex sententia GROTII in *Iure B. et P. L. II. Cap. 20. §. 1.* vel, vti THOMASIVS in *Iurispr. diu. L. 3. Cap. 7. n. 28.* sentit, est propositio mali seu dolor, quem propter delictum commissum infert Superior inferiori inuito, in emendationem tum delinquentis, tum totius Reip. Iam vero si ea, quae §. II. ab initio §. III. et §. IX. de Anatomia sunt latius deducta, cum poena placet conferre, statim illam proprie scilicet poenam dici haud mereri, exinde efficietur. Quem enim  
finem

finem propositum poena habet, ad Anatomiam accommodari iste nunquam poterit. Supplicium namque semel perpeffus delinquens amplius puniri nequit, cum morte tollatur poena, *L. 6. D. de Publ. Iud. et L. 20. i. f. D. de poenis*, nec regulariter in Cadauera faeuendum erit, nisi atrociffimum fuerit crimen, vbi quandoque adhuc in detestationem nefandi facinoris, et in terrorem reliquorum, permittitur in Cadauera animaduersio §. VI. Porro spem emendationis in mortuo locum adhuc habere, nemo tam infusus erit qui credat. Sic quoque nec in emendationem et terrorem aliorum ad Anatomiam conceduntur Cadauera, sed ad longe alium finem v. f. et fieri quamuis possit, vt alii ideo etiam a delictis deterreantur, quoniam sciant, plerumque delinquentium Cadauera dissecari ita solere, id tamen solum per accidens fieret, et non haec est principalis intentio concedentis. Quae recte considerans non Anatomiam poenam nominabit: Quin? nec cadaueribus vlla inde attrahitur contumelia, sed id commodi, vt ita loquar, iis potius accedit, vt dissecata terrae mandentur, quae vel in furca relinquerentur, aut alias inhumata vel in totum vel pro parte relicta, bestiis palam cibo essent. Attamen, quanquam sic delinquentium Cadauera dissecanda, non amplius puniuntur, tamen quilibet probus et honestus, ab hocce genere sepulturae abhorrens, potius Summum illud Numen ardentibus implorabit precibus, vt ossibus suis apud suos honestam sepulturam concedere velit, id eoque omnes actiones suas Ei commendabit.

F I N I S.



ULB 158

3


ULB Halle

005 314 81X

3







Farbkarte #13

B.I.G.

7

24

P. 280.

IOAN IOACHIM GOTTHARD STVRM,

L. L. C.

COMMENTATIO IVRIDICA

DE EO,

QVOD IVSTVM EST

CIRCA

ANATOMIAM.



11/10/158



ROSTOCHII,  
ANNO MDCCLV.